

prout quantitas instrumenti patitur, distinctorum. Iterum sub hac ex eodem centro quarta, tantum cum tertia spacium concludens, ut in id characteres numerorum duodecim signorum Zodiaci describi possint. Quæ omnia ita penitus perficientur, ut supra in instrumento seu æquatorio octauæ Sphæræ dictum est de zodiaco. Hac tamen hoc in loco cautiuncula obseruata, ut in eam partem series numerorum & graduū per quinarium uel denarium distinctorum, & duodecim signorum procedat, in quam ordo nominum duodecim signorum in zodiaco uerſe gebat. Vt si ordo signorum uersus læuam in orbe signorum perrexe- rat, hic eandem partem uersus ambulet. Postremo ubi id quod epi- cyclum excedit rescissum fuerit, describatur circumferentia paulo an- gustior uero epicyclo Saturni in alia tabula, quæ sit LM , & sub hac per quadrantem quasi semidiametri eiusdem strictior alia KI , porro se- cundum eam quantitatem (circino neūtiquam compresso) super A centro epicycli describatur GH circumferentia, quæ deinde ex epi- cyclo secetur rota. Iam eiusdem quantitatis describatur in alio quouis plano circumferentia NO , eaq̃ (superfluo prius ablato) conglutine- tur centro A epicycli in eccentrico signati, ita ut huius centrum puncto A respondeat. Huic aptetur epicyclus, ita ut huius cauum epicycli gib- bo respondeat. Ipsi uero rotulæ NO addatur alia, uidelicet LM , ita ut centra horum sibīp̃s respondeant, & epicyclum circa illas hac illacq̃ liberè moueri possit, neq̃ usquam limites egrediatur. Itidem quoq̃ fiat circa c punctum eccentrici signati in deferente epicycli, compingendo deferentem epicyclum deferenti augis, ea ta- men lege, ut eccentricus circa c centrum regulariter mo- ueatur, quod facile fieri poterit, si cum c centro eccen- trici agetur, sicut cum A epicycli centro iam iam peractum est. Postremo ex centris A, D & K , egrediantur singula fila serica &c.

b ij CD Centrum